

411

409

415

405

420

400

460

360

310

Ende

Anfang

396

noctibus in monte Oliveti, et tantum ignem notavi per fenestras
templi esse in eo, quasi esset lucerna claro lumine repleta.

Tertio dicitur mons luminum ex eo, quia in ejus vertice,
ubi Dominus ascendit, faciebant sacerdotes veteris legis singu-
lis annis magnum ignem, et vaccam rufam educentes, cuncto
subsequente populo Israel, eam ibi comburebant in holocaus-
tum Domino, et cinerem vaccae colligentes aquam expiationis
commixtione cineris conficiebant, cujus aspersio multas inqui-
nationes legales remundabant, et hoc fiebat cum magna solen-
nitate, ut habetur Numer. 19. cap., et in hoc monte, ut dicit
Jeronymus de vita et obitu S. Paulae. Numquam autem per
annum convenit populus Israel ad ignem extra castra, nisi in
ritu holocausti vaccae rufae. Ideo montem ab eo igne et
lumine nominabant, vel propter cineres et aquas lustrales, quae
ibi reponebantur. Sunt autem praeter Christi et ejus passio-
nis mysterium duae caussae, quare vacca rufa immolabatur.
Prima pro expiacione peccati commissi in adoratione vituli in
deserto, qui fuit vitulus rufus, quia de optimo auro noviter con-
flatus erat, quod rufum est, antequam limetur aut poliatur. Se-
cunda caussa est, quia filii Israel ritum hunc in Aegypto
didicerant ab idololatris; ideo Dominus condescendens fragilitatem
eorum ritum non mutavit, sed intentionem et propositum. Ae-
gyptii enim antiquissimi regem Osiridem ut Deum habebant,
imo Deum aestimabant; hunc frater suus, Typhon, vir rufus,
impius et nefarius occidit, et in 26 partes dissecum sociis suis
eas transmisit in diversa loca Aegypti. Isis autem, occisi uxor,
gigas foemina potentissima, arrepto regno viri collegit mem-
bra et aureo scrinio reservans templum fecit, sacerdotes insti-
tuit, ritum sacrificiorum Osiridis ordinavit, mandans, ut in
execrationem sceleris rufi Typhonis tam homines rufi, quam
animalia rufa ad sepulchrum Osiridis in holocaustum crema-
rentur. Unde cum cultus Osiridis per mundi regiones fuisse
praedicatus, similiter ei sacrificare volentes aut hominem
rufum, aut bovem rufum, aut vaccam rufam mactandos infere-
bant. Unde accedit, ut nullus homo rufus in tota terra Ae-
gypti maneret, et in aliis regionibus a cultoribus tam Osiridis
quam Isidis odio haberentur propter Typhonem fratricidam,
propter ejus malitiam omnes rufi suspecti de malo fuerunt

